

*Sang*

aut aperto sanguis exiliens fluit, arteriam vulneratam significat: sed si non exilit, crassusque manat, pertusam venam ostendit. Item, capite percusso, si sanguis vel è naribus, vel palato fluit, menyngium cerebri quandam vulneratam arguit. Item, qui sanguis simul cum vrina excernitur, aut renes, aut vrinæ ductus, aut denique vesicam male affici significat, quemadmodum docet Hippocrates aphorismo 78. sectionis quartæ. Qui inopinanter sanguinem meiunt, ijs à renibus venulam ruptam esse significatur. Et si quis sanguinem, aut grumos meiat, aut vrinam guttatum emittat, dolore ad hypogastrium & pectinem & perinæum pertinente, ad vesicam loca laborant. Item, aphorismo 81. sectionis quartæ: Si quis sanguinem, aut pus, aut squamulas meiat, & grauis odor adsit, vesicæ exulceratio significatur.

Qui præterea sanguis ex ano fluit, is iecur affici, aut mesaraicas venas, aut intestina, aut denique hæmorrhoidas significat. Sed à iecore venis tum mesaraicis tum hæmorrhoidibus solus & absque alui excrementis promanat: sed ab intestinis semper cum alui excrementis excernitur. Qui item à iecore manat, is crassus est & niger, cuius fluxum inflammatio ipsius iecoris præcessit. Qui verò ab intestinorum venis exit, quæ mesaraicæ dicuntur, tenuis & aguosus appetet: quandoquidem imperfe-

A 3